



Per.  
Lat  
020

## LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praeolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

### Georgius Endresz †

Priore anno XVI. Kal. Aug. nuntius nobis, Hungaris iucundissimus in toto orbe terrarum percrebruit:<sup>1</sup> Georgium Endresz una cum comite Alexandro Magyar Oceanum Atlanticum transvolasse immensumque illud itineris spatium ex urbe Americana Harbour Grace in caput ac sedem Hungariae recto cursu per aethera feliciter confecisse. Qui nuntius quanta nos laetitia affecit! Namque ille dies non solum eorum nomina gloria virtutis cinxit: gentes ac nationes, quae ubique in terris sunt, exempli magnitudinem mirantes in patriam nostram advertebant oculos, quae tot mi-

seriis aerumnisque pacis iniustae prostrata<sup>2</sup> et<sup>2</sup> afflita<sup>2</sup> novissimum suae virtutis signum ostendit.

«Justice for Hungary» (Iustitiam Hungariae!), haec vocabula nunc iterum omnem terram personant. Aéroplanum enim, quod tanta maria ac terras gloriose permeavit,<sup>3</sup> X. Kal. Iun., cum iam in eo esset, ut vectores terrae Italorum hospitiae<sup>4</sup> incolumes redderentur, incerta de causaflammam<sup>5</sup> concepit<sup>6</sup> ipsique aéronautae: Georgius Endresz et Iulius Bittay cum machina conflagraverunt.<sup>6</sup>



<sup>1</sup> elterjed    <sup>2</sup> letiporva  
<sup>3</sup> bejár    <sup>4</sup> vendégszerető  
<sup>5</sup> kigyul    <sup>6</sup> elég.

Omnis, qui aderant, maesti et praeformidine voce<sup>7</sup> inclusa<sup>7</sup> casum tristissimum cernebant... Machina combusta nil praeter cineres atque ossa heroum remansit. Sed e cineribus sacra Hungarorum iustitia visque<sup>8</sup> ac<sup>8</sup> voluntas<sup>8</sup> invicta resurgent.<sup>9</sup>

Georgius Endresz comesque eius primi sunt, qui victimam<sup>10</sup> se<sup>10</sup> patriae renasciturae praebuerunt.<sup>10</sup> Fortiter et magnifice.<sup>11</sup> Hoc teneatis,<sup>12</sup> iuvenes!

7 elfojtott hanggal 8 akaraterő 9 feltámad 10 feláldoz 11 nemeslelkűen 12 tartsátok meg emlékezetekben.

## AD IUVENTUTEM.

Ad vos, discipuli, nunc verba adhibere parabo;  
Nullus, quae scribam, neglegat illa puer.  
Est prope solstium,<sup>1</sup> iucundae effata<sup>2</sup> quieti  
Tempora, cum gravitas dura laboris abest.  
Sunt opus ad vires reparandas otia menti,  
Ut sudore<sup>3</sup> gravi lassa valere queat.  
At fuge desidiam, quae fons est flagitiorum  
Multaque de gremio gignit amara suo.  
Otia non aliter prosunt, nisi corporis usu  
Ingeniique simul membra animumque colis.  
Nam si neglecta penitus ratione praeoptas<sup>4</sup>  
Omnia nervosis membra tumere toris:<sup>5</sup>  
Cum pars una tui firmata videtur inique,<sup>6</sup>  
Nec per pulchro hominis nomine dignus eris;  
Bestia tunc in te damnosa tenebit habenas,  
Et mens opprimitur pondere mersa gravi.  
Sin contra facis et neglecto corporis usu  
Abdis te<sup>7</sup> in libros multaque scripta voras:  
Languida pinguedo residet segnisque voluntas  
Et tardum menti cedere<sup>8</sup> corpus erit.  
Noveris ex duro mentem corpusque labore  
Hoc te non unquam posse novare modo.  
Concordem mentis debes et corporis usum  
Excolere, ut valeant haec elementa duo.  
Cumque recens aetas operosa reverterit anni,  
Incipies firmo corpore mentis opus.

Valentinus Fehér.

1 nyár 2 szánt 3 izzadságos munka 4 többre  
beesül 5 izom 6 egyenlötlenül 7 elmerül 8 enge-  
delmeskedik.

## Gabriel Szarvas.

(1832—1895.)

Memoriam doctissimi atque inclutissimi grammatici, Gabrielis Szarvas centenariam celebrantibus nobis subeant oportet summa eius de sermone Hungarico merita.

Magni Hungarorum grammatici, quem de sermonis nostri elegantia<sup>1</sup> ac venustate<sup>2</sup> optime meruisse apertum est, vitae stationes memoratu dignae paucis his absolvvi possunt.

Natus est Gabriel Szarvas in pago Ada (in comitatu Bácsiensi) nunc temporis ditioni<sup>3</sup> Iugoslavorum subiecto a. 1832. die 22. mensis Martii (a. d. XI. Kal. Apr.) Studia gymnasii in urbe Baja exercebat (1842—1848.) tabula marmorea indice, quae in muro aedificii gymnasii est posita. Anno 1848. civis ad patriam tuendam conscribi vult, sed admodum iuvenis exercitui non ascitur. Non multo post habitum filiorum S. Benedicti regularem suscepit, sed studiis gymnasii rite solutis ex ordine discessit et ad iuris studium se contulit.

Anno 1857. in urbe Baja, mox Agiae<sup>4</sup> et Posonii fit professor, anno vero 1869. Budapestinum migrat, ubi aetatem in studiis consumeret et linguae nostrae renovandae dux et propugnator evaderet acri ac subtili ingenio invictissimus. Anno 1872. ephemeridem sic inscriptam «Custos Linguae Hungaricae» construit, cui ipse amplius viginti annis praeerat moderatoris supremi munere fungens cuiusque ephemeridis finis quis fuerit vel maxime e titulo elucet. Curavit fovitque semper ista ephemeris puritatem linguae Hungaricae fundatore<sup>5</sup> ipso imprimis, deinde Sigismundo Simonyi, Iosepho Szinnyei, Bernardo Munkácsyi aliisque multis molientibus. Interim Gabriel Szarvas inter socios Academiae scientiarum Hungaricae optimorum respectu<sup>6</sup> meritorum asciscitur. Sermonis renovandi causam contendere<sup>7</sup> usque ad ultimum vitae halitum<sup>8</sup> non desiit, ut structuram<sup>9</sup> verborum alienam nec non inconditum dicendi genus e sermone nostro patrio extirpare.<sup>10</sup> Mortem obiit Budapestini anno 1895.

Ecce virum generosum, quem grata memoria prosequi cuiusque memoriam pie inviolatique servare iuventutem studiosam quam maxime decet!

/Baja./

Sebastianus A. Módry.

1 választékosság 2 finomság 3 hatalom 4 Eger  
5 alapító 6 tekintettel 7 hévvel folytat 8 lehelet  
9 összetűzés 10 kiirt.



## LECTORIBUS MINIMIS.

**Corvus et vulpes.**

(Ad fabulam *Lessingii* Latine scripsit *Sebastianus A. Módtgy.*)

Carnem tulit aliquando corvus veneno<sup>1</sup> illitam,<sup>1</sup> quam iratus hortulanus<sup>2</sup> vicini sui feli, qua illam interimeret, humi deposuerat. Raptam offam comesurus corvus in summam ilicem volavit ibique consedit, cum repente adest vulpes blandisque verbis eum salutans: «Salve — ait — generose Iovis satelles!»<sup>3</sup>

«Quemnam tu me esse putas?» — interrogat vulpem corvus. «Ni fallor» — respondebit illa — «a quilibet te, sacram Iovis alitem magnanimamque praedatricem esse autum.»<sup>4</sup> Namque in dies hic volitas, ut esurientem me nutrias. An tute hoc deneegas?»

His auditis corvus admiratione commotus simulque laetus, quod ipse ab aliis in numero reginarum poneretur alitum: «Vulpi errorem eripere nolim» — ait secum — praedamque magnanimus illi concedens in terram demisit et superbe avolavit.

Arreptam carnem malevola avide devoravit, sed gaudium eius brevi in dolorem est commutatum, nam veneno absumpta miserime periit.

Utinam nil, nisi venenum e blanditiis accipiatis, scelerati adulatores, servum pecus!

### Vir doctus deceptus.<sup>5</sup>

Peritus<sup>6</sup> quidam nubium<sup>6</sup> observandarum<sup>6</sup> maximam famam gloriamque assecutus est; is enim praesagire<sup>7</sup> poterat, qualis tempestas futura esset: clara aut nubila, calida aut frigida, sicca aut pluviosa.

Eo molestius ferebat<sup>8</sup> noster, cum ad aures pervenisset fama: esse ibidem in urbe quendam purgatorem<sup>9</sup> viarum,<sup>9</sup> qui tempestate praesagienda multo sibi praestaret.

Quo audito adiit hominem eumque blan-

dis impellebat<sup>10</sup> verbis, ut arcanum proderet, sed ille hoc facere abnuit.<sup>11</sup>

Vir doctus cognoscendi cupiditate stimulatus viarum purgatori multum pecuniae proposuit. Qui cum pecuniam accepisset, libentissime arcanum suum aperuit dicens: «Comniatur hic in urbe quidam meteorologus, qui tempestatem praesagire solet. Ego plane<sup>12</sup> diversum<sup>12</sup> ac<sup>12</sup> contrarium<sup>12</sup> dico semper praesagium, quod ille praesagiverat. Ita fit, ut praedicta mea evadere<sup>13</sup> soleant.»

*Alexius Czuppon.*

<sup>1</sup> mérgezett <sup>2</sup> kertész <sup>3</sup> csatlós <sup>4</sup> tart vminek  
<sup>5</sup> rászedett <sup>6</sup> meteorológus <sup>7</sup> megjósol <sup>8</sup> megnehezel  
<sup>9</sup> utcáspró <sup>10</sup> ösztökölte <sup>11</sup> megtagad <sup>12</sup> homlok-  
egyenest ellenkező <sup>13</sup> teljesül.

### Epistola Aquincensis.

Conscriptis *Adalbertus Tóth.* In Latinum convertit  
*Carolus Ács.*

*Titus Attilius Flavus Caio Valerio Aeliano S. P. D.*

Non sine invidia ac dolore a te, Valeri, quaero, ubinam te gentium hae litterae, quas Valenti, Lepidi liberto ex Italia reverenti commisi, sint consecutuae. Legesne eas attente intra urbem, an voluptatibus Baianis deditus neglegenter percurses? Utut<sup>1</sup> est, bene<sup>2</sup> erit<sup>2</sup> his<sup>2</sup> litteris,<sup>2</sup> quod amici, carissimae meae animae, vobiscum erunt. Atque utinam non mens solum mea, sed totus ipse ego una vel in urbem, vel sub Vesuvium in myrtetum, ad amoenum litus Tyrrhenum ire possem. Quodsi animo reputans examino, quid horum ardentissime optem, maxime Baias mihi volare velle videor propter similitudinem dissimilem, quia ego quoque aquis<sup>3</sup> utor, quae sunt Aquinci, in oppido et castello Pannoniae.

Certe tu mihi mirari videris me luc delatum<sup>4</sup> esse. Casus meos sane instar<sup>5</sup> minuti Ulyxis errorum esse arbitror, quos nisi nimis longa expositione<sup>6</sup> egerent, describerem; verum tu qua es prudentia ac iudicio, brevitatem amas.

Tantum dico, id quod probe scis, me Imperatoris cura et providentia in Daciam

<sup>1</sup> így vagy úgy legyen <sup>2</sup> kivánatos a sorsa az írásnak <sup>3</sup> fürdő <sup>4</sup> kerültem ide <sup>5</sup> érnek fel <sup>6</sup> előadás.

esse missum, ut ab aurifodinae<sup>7</sup> administratoribus ratione<sup>8</sup> exacta<sup>8</sup> a perfidis poenas<sup>9</sup> expeterem.<sup>9</sup> Sed viginti dierum laboribus coelique<sup>10</sup> insolita asperitate tam vehementem nactus sum podagram, ut imbecillus<sup>11</sup> ac debilis<sup>11</sup> ab Alburno Maiore huc deportatus sim. Oh vos fortunatos invidendos, qui aquas Baianas petatis, ut ex voluptatibus podagram colligatis.<sup>12</sup> Ego vero ad aquas Aquincenses defungi<sup>13</sup> conor podagra, quae inique me invasit, cum voluptatibus nullo patefacto<sup>14</sup> aditu<sup>14</sup> gravissimorum<sup>15</sup> munerum<sup>15</sup> functione<sup>15</sup> dstringerer.<sup>15</sup>

Miserere mei, mi Valeri, miseremini mei, sodales fidelissimi. Ego, qui antea in convalle Tiburtina praecipitantis<sup>16</sup> amnis<sup>16</sup> truci<sup>17</sup> praebebam aures fragori et in cupresseto<sup>18</sup> Baiano alteram dulce ridentem Lalagen, meam Lalagen audiebam, nunc in oppidum barbarum compactus<sup>19</sup> demoror.<sup>19</sup> Pro rapidis verticibus Anionis leniter<sup>20</sup> et aequalibliter<sup>20</sup> fluentis Istri caenosas<sup>21</sup> undas video; in nudis collibus nulla est arbor, cuius tegninae<sup>22</sup> mihi gelida umbra obtendatur. Mea Lalage non ridet, nam nullus hic invenitur dentium medicus, qui elephantum despoliet<sup>23</sup> resarturus<sup>24</sup> id, quod anni fugaces pro preda abstulerunt. Si ampulla<sup>25</sup> vacuefacta est, nullus adest Aegyptius institor,<sup>26</sup> qui eam aliquot sestertiolis fuco<sup>27</sup> compleat. Quam dura atque horrida simplicitas inest in his barbaris! Omne eis tanti est, quantum revera<sup>28</sup> est: nulla res eis pulchrior habetur, quam revera est. Aetatis et morbi dura damna<sup>29</sup> nulla arte celantur.<sup>30</sup> Vitae eorum illae ipsae desunt dulcissimae praestigiae,<sup>31</sup> quibus cara atque magnifica redditur. Atqui<sup>32</sup> quam iuvat nos fallere et falli! Cubicularius, improbus ille puer e Dacia rediens calamistra<sup>33</sup> amisit. Caedi<sup>34</sup> eum ob iniuriam iussi,<sup>34</sup> sed quid hoc mihi profuit? Nihilominus calvus sum, tristi enim hoc loco, ne duobus quidem talentis calamistrum emere possum, quo capillos raros eo cogam, ubi maxime eis opus est.

Equidem nescio laudem an reprehendam aquarum calidarum nymphas, quod podagra in aquis Aquinci tam cito abiit. Aegroti hominis cupiditates dormientes morbo depulso recentiores valentioresque expergi-

scuntur. Oh dii immortales, quales cruciatus perpetitur civis Romanus, cui cupiditates in barbara terra oboriuntur. Tum nobis Apicius librum de re<sup>35</sup> coquinaria<sup>35</sup> aureolum conscripsisse videtur, quo acriore in victu rustico fame discruciemur; atque illustrissimi Imperatores idcirco oculos nostros ludorum splendore ac magnificentia praestrinxerunt,<sup>36</sup> quo viliora nobis ferarum<sup>37</sup> spectacula<sup>37</sup> vi-derentur.

«Totam noctem pluit, sed mane incipiunt spectacula circi; Caesar socius regni a Iove adsumitur.» Sic fuit et sic est Romae. Sed hic Iuppiter Pluvius solus obtinet regnum. Per omnem aestatem imbri et nebula infestamur<sup>38</sup> et si semel iterumque tempestate secunda amphitheatrales ludi committebantur, parum inde oblectamenti capiebamus. In silvis proximis capti lupi, ursi et urii<sup>39</sup> in arena committuntur.<sup>40</sup> Elephantus, leo, tigris his locis nulli sunt, neque vidi bovem unicornem, qui a Plinio haud procul in Moesiae saltibus stabulari<sup>41</sup> perhibetur.<sup>42</sup> Nec servi ad pugnam gladiatoriā adhibentur propterea, quod penuria servorum hominum vitae parcitur. Pro gladiatorio munere servi fullonicam<sup>43</sup> exercent.

Certe nusquam vidi oppidum, in quo plus tegimentorum<sup>44</sup> ad<sup>45</sup> bellicos<sup>45</sup> usus<sup>45</sup> quam Aquinci conficiatur. Est quidem haec ars utilissima, sed parum habet iucunditatis. Barbari, qui hic sunt, Eravisci dicuntur. Est quidem haec gens valida et procera<sup>46</sup> statura, sed formosam non iudicaverim, licet puellae nondum tredecimi annos natae cum statura tum vultu atque facie venustae sint. Crines habent Dacico auro similes. Pannónii lacus instar oculos caeruleos,<sup>47</sup>

<sup>7</sup> aranybánya <sup>8</sup> számonkér <sup>9</sup> megbüntet <sup>10</sup> éghajlat  
<sup>11</sup> magával tehetetlen, nyavalás <sup>12</sup> szereztek <sup>13</sup> végezni, szabadulni <sup>14</sup> kaput nyitni <sup>15</sup> kemény kötéllességteljesítés közben <sup>16</sup> zuhatag <sup>17</sup> komor <sup>18</sup> ciprusbokrok <sup>19</sup> itt vesztegelek <sup>20</sup> simán és lomhán <sup>21</sup> iszapos <sup>22</sup> ernyő <sup>23</sup> megrabol <sup>24</sup> pótlandó <sup>25</sup> kendőzös szelence <sup>26</sup> szatócs <sup>27</sup> pirosító <sup>28</sup> valóban <sup>29</sup> kár, ártalom <sup>30</sup> eltitkol, eltakar <sup>31</sup> szemfénnyesztés, csilllogás, hazugság <sup>32</sup> pedig <sup>33</sup> sütővas <sup>34</sup> megesapattam <sup>35</sup> szakácsmesterség <sup>36</sup> elkáprázthat <sup>37</sup> állatviadal <sup>38</sup> kínoz, kellemetlenkedik <sup>39</sup> bőlény <sup>40</sup> összeereszteni <sup>41</sup> tanyázni <sup>42</sup> állít, mond <sup>43</sup> pokróckészítő mesterség <sup>44</sup> pokróc, terítő <sup>45</sup> háborús cérla <sup>46</sup> deli <sup>47</sup> kék.

cutem Amarasino alabastro parem. Est domi  
meae barbara ancilla, cui nomen Gallit-  
tae est, quam Romae poetae carminibus  
celebrarent, hic autem molas<sup>48</sup> trusatiles<sup>48</sup>  
versans inculta lingua cantica<sup>49</sup> lenta<sup>50</sup> ac  
tristia cantillat.<sup>51</sup>

Sed vereor, ne me rideas, quod in epistola mea tam futilia<sup>52</sup> loquor. Quid mirum, si raro mihi formosae feminae in conspectum veniant. In balneum totius civitatis primores<sup>53</sup> ventitant, viles centuriones cum uxori-bus et liberis, qui Romae non flocci<sup>54</sup> habentur atque etiam hic cum aliis tum mihi nimis vulgares<sup>55</sup> putantur. Rusticitas mihi non tantopere bilem<sup>56</sup> movet,<sup>56</sup> quam provinci- alium mores et consuetudo. Ceterum mulieribus in laude ponendum est, quod vix dum advenerant, iam e conspectu evanuerunt sese illico in balneum abdentes scarificatio-nem<sup>57</sup> subiturae,<sup>57</sup> cum huius loci chirurgi peritiiores Romanis existimentur.

Dicamne, mi Valeri, taedio mihi tabescenti<sup>58</sup> tempora quam tarde labantur. Si mihi verendum est ne — dii averruncent<sup>59</sup> — tamdiu hic maneam, dum mihi respondebis, obsecro te mittas uxori centurionis duplicum dentium ordinem mihiique calamistrum. Quamquam metuo, ne mulierculis ad id temporis dentes renascantur atque ego calvus fiam. Spes me tenet luna nondum bis circumacta me vobiscum fore. Ea vero, quae litteris non mandavi, coram vobis viva voce narrabo et, credo, vos tum mei magis miserebit. Est enim tempus irrevocabile homini aetate provecto magis magisque in pretio. Atque quis scit concessurine sint dii immortales, ut pro elapsa altera mihi illucescat aestas. Vale. A. d. III. Kalendas Iulias.

48 búzadaráló 49 ének 50 lassú 51 énekel, dudorász  
52 semmiség 53 előkelőség 54 ügyet sem vet 55 kö-  
zönséges 56 bosszant 57 köpölyözött 58 sorvad,  
szenyed 59 az istenek mentsenek meg tőle.

*Sane quam miseri, quam et fragiles ac caduci simus, non satis capimus, dum ipsae nobis miseriae id persuadeant.*

\*

*Facile cuivis est patientem se gerere, cum  
quod patiatur, non habet*



Quomodo stipula<sup>1</sup> in lagenam<sup>2</sup> inflari<sup>3</sup> possit?

Accipe lagenam vacuam, dirige<sup>4</sup> eam ad libellam<sup>4</sup> atque in os eius insere<sup>5</sup> stipulam, ore lagenae pauxillo angustiore. Quibus praeparatis evoca aliquem e coetu sodalium, qui stipulam in lagenam flando<sup>3</sup> immittat.<sup>3</sup>



Res omnibus perfacilis factu esse videbitur. Sodalis tuus vehementer stipulam afflabit, sed brevi experietur illam flando in lagenam immitti non posse. Quin etiam eo citius stipula e lagena evolabit, quo vehementius eam afflaverit. Tunc contra, leviter flando ad exitum pervenire studebit, sed frustra, quia stipula semper e lagena exibit. Cuius rei causa est, quod, cum stipulam afflamus, lagenam quoque inflemus necesse est. Lagena autem inflata etiam aér, qui in ea est, densior<sup>6</sup> factus stipulam inire non sinit, immo emittit eam, quia aér crassus<sup>6</sup> emanare<sup>7</sup> e lagena conatur.

Rationem tamen facile invenies et stipulam in lagenam immittes, si lagenam calefeceris aëremque, qui in ea est, extenuaveris.<sup>8</sup> Rapi-dior enim aëris rigidi cursus,<sup>9</sup> si scilicet sti-

<sup>1</sup> dugó <sup>2</sup> palack <sup>3</sup> befú <sup>4</sup> tartsd vízszintesen <sup>5</sup> betöl  
<sup>6</sup> sűrű <sup>7</sup> kiömlik <sup>8</sup> megritkít <sup>9</sup> áramlás.

pulam afflaveris, eam in lagenam iniget.<sup>10</sup>  
Altera est ratio, si labiis tuis collo lagenae  
propius admotis aërem introrsum hauseris.<sup>11</sup>  
Tunc in lagenam spatium<sup>12</sup> aëris<sup>12</sup> extenuati<sup>12</sup>  
fiet aërque exterior stipulam in lagenam  
imprimet. Simplicissimus autem modus erit,  
si stipulam arundine vel siphunculo<sup>13</sup> affla-  
veris, quia hoc modo flatus tantum stipulam  
protrudet,<sup>14</sup> neque in lagenam penetrabit.

Ne stipula collo lagenae multo flatu made-  
facto adhaereat, post singulos flatus lagenam  
abstergeas oportet.

10 behajt 11 beszív 12 légüres tér 13 kis cső  
14 előre taszít.

## Georgius Washington.

Bis centum anni praeterierunt, ex quo  
Georgius Washington libertatis<sup>1</sup> publicae<sup>1</sup>  
vindex<sup>1</sup> conditorque Civitatum Unitarum  
Americae Septentrionalis lucem primam in  
oppido *Bridge Creek*, (in civitate Virginiana)  
aspergit. Washington vivus gentis sua vates<sup>2</sup>  
erat isque etiam nunc, saeculis duobus dilata-  
psis in patria autumatur<sup>3</sup> et colitur. Itaque,  
si maximus ille vir populi «late regis» a civibus  
suis ubique in toto orbe terrarum maximo  
cūm apparatu celebratur, quid mirum?

Infantiae<sup>4</sup> initia in praedio<sup>5</sup> patris apud  
fluvium Potomac, in illa regione sito dege-  
bat, quae hodie iusta et merita veneratione  
sub nomine Mount Vernon ab Americanis  
cohonestatur.<sup>6</sup> Ibi adolevit Georgius parvulus  
pollens viribus ingenioque validus, dum  
more illius gentis rei rusticæ daret operam  
multumque tempus in venando ageret. Ve-  
rum eadem cura et diligentia etiam seria age-  
bat: tempore scholarum avidissimus discendi  
erat. Studio præsertim arithmeticorum fla-  
grabat, in quibus magnos progressus fecit.

Finitis scholis stipendia meruit interfuitque  
bellis, quae Americani contra Gallos auto-  
chthonesque<sup>7</sup> regionum Americae Septentrion-  
alis gesserunt. Annum tricesimum secun-  
dum agens tribunus militum factus est.

Pace composita viginti annis in praedio  
paterno res familiares administrabat et brevi  
in tantas opes crevit, ut cum anno 1774.  
coloni Britannici Philadelphia legatos mit-  
terent, qui de reiiciendis<sup>8</sup> Anglorum merci-  
bus<sup>8</sup> agerent, a civibus suis princeps legati-  
onis eligeretur.

Angli colonos suos rebellionis accusantes  
bellum paraverunt, quod iam anno sequenti  
exarsit. Civitates colonicae exercitibus suis  
Georgium Washington praefecerunt.

Fortuna belli colonis favit; cum autem

anno 1783. Angli copias Novo<sup>9</sup> Eboraco<sup>9</sup> quo-  
que eduxissent, finis bellandi factus est.

Tanta viri in patriam merita remuneraturi  
cives anno 1789. principatum Civitatum Uni-  
tarum cognomenque patris patriæ honestis-  
simum ei detulerunt.

Principem locum in tanto imperio obtinens  
negotia publica prudentia exercitatissima<sup>10</sup>  
administrabat totumque se in salutem patriæ  
conferebat. Cum autem usque in gratia ac  
favore apud suos esset, anno 1799. annum  
agens sexagesimum septimum diem supremum obiit.

Immortale eius nomen iam dudum gratissi-  
mum est nobis, Hungaris. Statua Washing-  
toni iam viginti sex annis ante in capite  
regni revelata<sup>11</sup> est ostenditque quanto ho-  
nore Hungaria vindicum libertatis gloriam  
ornandam esse voluerit.

1 szabadsághős 2 próféta 3 hisz 4 gyermekkor  
5 birtok 6 tisztelek 7 őslakó (indián) 8 az angol áruk  
bojkottja 9 New-York 10 ügyes 11 leleplez.

## Corona vitae.

(10.)

Ad fabulam *Felicis Nabor* Latine scripsit  
*Valentinus Fehér*.

### 12. Pax.

Cultus veterum deorum emoriebatur; ho-  
mines enim deorum opinionem<sup>1</sup> abiecerant.  
Tamen sacerdotes auctoritate<sup>2</sup> pollentes<sup>2</sup>  
omnibus<sup>3</sup> nervis<sup>3</sup> instituta<sup>4</sup> lapsura<sup>5</sup> admini-  
culari atque sustinere contendebant.<sup>6</sup>

Nova templa eaque pulchriora nitidiora-  
que prioribus aedificabantur. Deorum signis,  
quae in aris stabant, plurima sacra siebant  
et festa,<sup>7</sup> quae in lucis habebantur, maiora  
erant, quam quae ratio<sup>8</sup> hominum<sup>8</sup> consequi<sup>8</sup>  
posset.<sup>8</sup> Homines quasi crapula<sup>9</sup> graves<sup>9</sup> in  
sceleribus ac voluptatibus volutabantur.<sup>10</sup>

Vulgus cupidum voluptatum maxime cul-  
tui deorum adhaerebat,<sup>11</sup> qui gaudia deli-  
ciasque præberet. Sacerdotes infidelium,  
qui läbentem<sup>12</sup> videbant deorum potentiam,  
bellum acerrimum novo vivoque Deo intu-  
lerunt. Nova festa novasque delicias excogi-  
tarunt, quibus vulgus ad aras desertas redu-  
cerent. Plurimi etiam tum formis falsae re-  
ligionis adhaerescebant, vulgus tamen con-  
temptis diis serviebat libidini, qua in sce-  
lerum voraginem præcipitatum erat.<sup>13</sup>

Et tamen aderat novus Deus.

\*

1 hit 2 befolyásos 3 minden erővel 4 intézmény  
5 hanyatló 6 iparkodik 7 ünnep 8 fölülmű minden  
emberi képzeletet 9 mámoros 10 feteng 11 ragasz-  
kodik 12 hanyatló 13 sodor.



Marcus Fulvius eiusque filia, Rubina procul<sup>14</sup> a coetu<sup>14</sup> hominum<sup>14</sup> in domo sua viventes id agebant, ut praecpta Dei sequentes perfecti<sup>15</sup> fierent. Maxime laetabantur, si pauperes aegrotosque ipsis adiuvare contigerat; praecipue Rubina sorores Lazari in humilitate et misericordia imitari studebat.

Cum Priscilla eiusque filio, Pudente in maxima familiaritate<sup>16</sup> erant; illi enim falsos deos iam pridem aversati<sup>17</sup> fervidis precibus viam veritatis inquirebant.

Quodam die a Cornelio centurione, quem Marcus Cafarnai convenerat, ad Priscillam allatae sunt litterae, in quibus haec scripta erant:

«Cornelius centurio Priscillae eiusque filio, Pudenti pacem et salutem. Laetum nuntium mitto vobis; inveni veritatem et verum Deum, Iesum Christum. Aquā lustricā<sup>18</sup> mihi caput attatum est. Petrus, princeps apostolorum, me baptizavit.<sup>19</sup> Laetitiā elatus<sup>20</sup> viam salutis vobis ostendere cupio, quam scio vos admodum desiderare. Paucis post diebus Romanam proficiscar; Petrus mecum veniet; credo illum a vobis libenter exceptum iri in domo vestra. Is docebit vos omnia, quae necessaria sunt adipiscendae saluti. Ne miremini, quod Romanam proficisci. Imperator enim, cum contra Germanos bellum gerere meditetur,<sup>21</sup> omnes e provinciis Romanam vult contrahere<sup>22</sup> legiones. Etiam sexta legio, quae est in Iudea, Romanam proficisci iussa est.

Saluta meos amicos. Saluta Pudentem. Saluta Marcum et Rubinam. In primis tu salve, Priscilla. Vale.»

Postea Cornelius et Petrus advenerunt. Petrus in domo Priscillae habitabat. Domestici ad pedes eius sedentes sanctam doctrinam auscultabant.<sup>23</sup>

Quodam die cubiculum pulcherrime ornatum est. Priscilla, Pudens eorumque familia, dein Marcus et Rubina albati in orbem genibus nitebantur. In medio stans Petrus vas argenteum manu tenebat.

— Sanctam vitam — inquit Petrus — in terris vivere debemus. Iesum sequi debemus et abstinendo<sup>24</sup> amandoque in via crucis pergere; ita habebimus aeternam beatitudinem, Hierosolyma caelestia, ubi Dominus absterget lacrimas de nostris oculis, ubi mors non erit amplius neque luctus<sup>25</sup> neque clamor neque dolor. Ibi inter splendidos angelos et coram Altissimo<sup>26</sup> donum pulcherrimum, coronam vitae adipiscemur.

Petrus vase levato aquam singulorum capitibus infundens dicit:

— Baptizo vos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Maxima laetitia animos eorum attigit, quod Christiani facti sunt.

Perfectā caerimonīā<sup>27</sup> Petrus ad Rubinam aggressus manum in caput eius imponit.

— Ne<sup>28</sup> tu, mea filia — inquit — optimam partem elegisti. Cum omnem tuam vitam Deo dedere<sup>29</sup> velis, aeternam voves castitatem.<sup>30</sup> Virgo, quae servat castitatem, pulchrior lilio,<sup>31</sup> odoratior quam rosa, fulgentior est angelis. Ea est, tamquam lucida stella, quae mundum collustrat. Esto, mea filia, tam casta et sancta, quam Maria, mater Domini, quae talis est, qualis rosa inter spinas, qualis palma in solitudine.<sup>32</sup> Illa, quae est immaculata,<sup>33</sup> sit tibi exemplum. Illam sequere, virgo Christiana atque exornante ipsam virtutibus: mansuetudine,<sup>34</sup> humilitate, pietate, clementia, misericordia, patientia, castitate; ante omnia retine firmam fidem estoque fidelis amori Iesu, sponsi<sup>35</sup> tui caelestis.

Rubina lacrimans vovit ante Petrum se castam esse mansuram.

Exinde soli Iesu vivere volebat pauperibus atque aegrotis ministrando.

*Finis.*

<sup>14</sup> a világolt elvonulva    <sup>15</sup> tökéletes    <sup>16</sup> benső barát-ság    <sup>17</sup> elfordul    <sup>18</sup> keresztvíz    <sup>19</sup> megkeresztel    <sup>20</sup> örömtől elragadtatva    <sup>21</sup> készül    <sup>22</sup> összevon    <sup>23</sup> hallgat    <sup>24</sup> önmegtagadással    <sup>25</sup> gyász    <sup>26</sup> Magasságbeli    <sup>27</sup> szer-tartás    <sup>28</sup> valóban    <sup>29</sup> szentel    <sup>30</sup> tiszta-ság    <sup>31</sup> liliom    <sup>32</sup> sivatag    <sup>33</sup> szepiolten    <sup>34</sup> szelíd-ség    <sup>35</sup> jegyes.



### Iocosa.

Miles stipendia emeritus<sup>1</sup> ceteris in cau-pona<sup>2</sup> narrat:

- Apis in Italia tanta est, atque<sup>3</sup> agnus.
- Age — interpellat unus ex audienti-bus — quantum esse potest alvarium<sup>4</sup>?
- Quantum apud nos — respondet miles.
- Sed quomodo tot apes recipit?
- Quomodo? nil ad me;<sup>5</sup> illae viderint.<sup>6</sup>

\*

<sup>1</sup> kiszolgált, obsitos    <sup>2</sup> csárda    <sup>3</sup> mint    <sup>4</sup> méhkás    <sup>5</sup> miközött hozzá    <sup>6</sup> az ó dolguk.

- Pater et filius fame confecti in cauponam  
veniunt; caseus<sup>7</sup> et laridum<sup>8</sup> eis apponuntur. Puer statim laridum expiscatus<sup>9</sup> dicit  
patri:

— Elige, mi pater.

— Quid eligam, cum unum mihi caseum reliqueris?

— Agedum, elige, mi pater, comedasne  
caseum, an etiam illum mihi concedas.

\* V. Fehér.

In conventu<sup>10</sup> civium<sup>10</sup> dimidiā eorum, qui adessent, partem esse stupidam<sup>11</sup> vociferantem,<sup>12</sup> cum princeps<sup>13</sup> conventus,<sup>13</sup> quae dixisset, irrita<sup>14</sup> faceret,<sup>14</sup> iussisset, sic ille: «ergo igitur dimidia pars non est stupida».

C. Ács.

<sup>7</sup> sajt <sup>8</sup> szalonna <sup>9</sup> kihalász <sup>10</sup> gyűlésen <sup>11</sup> hülye  
<sup>12</sup> dühösen kiabál <sup>13</sup> elnök <sup>14</sup> vonja vissza.



# ENIGMATA.

J.

- |         |  |
|---------|--|
| — elus  | Litterae initiales nominum geographicorum recte completæ collectaeque nomen reddunt cuiusdam regis Spartani. |
| — lea   |  |
| — llia  |  |
| — erna  |  |
| — ssa   |  |
| — axos  |  |
| — da    |  |
| — ardes |  |

II.

1	E	2	3	4		5S
		6				C
7	8	X		9	10E	
11					12	
13		14		15		I
U		16	17			E
18		R	C		U	

Series librae: 1.  
urbs Hispaniae, hodie: Toledo; 2. fructus, qui  
putamine est clausus; 3. coniunctio; 4. imper-  
ativus verbi: dico; 5. morbus ovium est; 8.  
verbum pro enato; 10. Aurora; 14. adverbium  
numerale; 15. gens Germanica; 17. coniunctio.

*Ludovicus Csizmazia*  
disc. cl. VII. gymn. Cist.  
Budapestinensis.

III.

*Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum:  
Nec tamen invenio, quod in isto vase reliqui.  
Quod fuerat, non est: coepit, quod non erat, esse.*

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Rector: F. Kohl.

IV.

2, 28, 23, 24, 30, 9, 20, 21 = Aeneae pater ; 23, 3,  
12, 25, 17 = oppidum Sabinorum, quod Romulus  
Romanis iunxit ; 8, 6, 23, 16, 33, 49, 31 = Hercules ;  
35, 46, 7, 5, 38 = fluvius septemgeminus, qui to-  
tam Aegyptum stagnantibus undis alluit ; 14, 59,  
22, 23, 30, 36, 61, 43 = avus Achillis ; 1, 63, 23, 32,  
13, 65 = dea triformis ; 10, 57, 34, 29, 11, 47 = do-  
minator nigri Averni ; 23, 37, 53, 54, 52, 51, 45, 50,  
67 = Priameia virgo, antistita Phoebi ; 48, 69, 26,  
20, 4, 64, 30, 40 = epitheton Iovis ; 15, 20, 57, 6, 18,  
39, 44 = bellorum dea ; 19, 27, 66, 58, 42, 51, 56,  
70 = Inoa propago ; 55, 20, 53, 68, 56, 41, 27 = ani-  
mal segne, specioso dorso praeditum ; 60, 27, 7,  
23, 25, 51, 54 = dux Rutulorum, cui moriens Ni-  
sus animam abstulit ; 62, 63, 6, 49, 51, 52 = con-  
iunx Paridis, quae erat causa excidii Troiani.

## 1 - 70 = versus Propertii.

## Solutiones aenigmatum numeri IX.

- I. In vivario 33 ceryi et 67 phasiani erant.
  - II. Proverbiū : Periculum in mora.
  - III. Dum Roma deliberat, Saguntum perit.

**Aenigmata recte dissolverunt:** Ios. Majoros (Ujpest), Adalb. Gyurkovics (Szeged), Steph. Lukacs (Miskolc), Vilhelmina Baradlay, Maria Schuster (Budapest), Col. Nagy (Jászberény), Georgia Szilvássy, Elem. Nagy, Thom. Zetelaky (Budapest). Lad. Pichler (Pécs), Ios. Wittner (Baja), Geyza Kiss (Györ), Rud. Kancz (Szombathely), Lad. Fehér, Tib. Zöhls, Marianna Renner, Petrus Hauser, Anna Böhm (Budapest). — Praemium sorte Adalberto Gyurkovics, Vilhelminae Baradlay et Geyzae Kiss obvenit.

## **Epistolia Officialia.**

*Discipulos*, laboris nostri socios etiam hoc anno aliquo praemio statuimus afficiendos, itaque mittimus eis libellum *Aemilii Láng* lepidissimum acque ac utilem, concinnatum ad fabulam W. A. Beckerii, cui *Gallus* inscriptum est. Discipuli autem, quibus hoc praemium laudis loco impertimus, sunt: *Franc. Barát, Lud. Csizmazia, Paulus Drótos, Steph. Elek, Em. Forró, Iul. et Lad. Krcsmárik, Lad. Pichler, Steph. Pónyi, Tib. Rachl, Marianna Renner, Alex. Skripecz, Car. Tilly, Georgius Weiszkron.* — *Iul. Wattamány*: Pro singulari tuo studio laude dignus es. Ex opusculis unum alterumve promam. Ceterum tibi quoque mitto eundem libellum, de quo supra scripsi. — *Lectoribus atque amicis cunctis feriarum tempus quam iucundissimum precamur.*

Moderator ephemericis EUGENIUS FRAY DR.  
Budapest, I., Verpeléti-út 22.,  
ad quem epistulae et manuscrusta mittantur.  
Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-  
scholarium Catholicorum. — A Katholikus

Középiskolai Tanáregyesület költségén.  
(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)

(Places: STEPHANUS AGASSIZ DR., CHICAGO)